Kromayer

Gymnasium zu Stralsund 1863.

EINLADUNG

zur

öffentlichen Prüfung und Redeübung

unserer Zöglinge

am 1. und 2. October d. J.

von dem

Director und Lehrer-Collegium.

Inhalt: De dispositione, qua Demosthenes in oratione περὶ παραπρεσβείας usus sit, scripsit Carol. Kromayer ph. D. Gymnasii Subrector.
Schulnachrichten vom Director.

STRALSUND.

Druck der Königlichen Regierungs - Buchdruckerei.

Demosthenis oratio de falsa legatione postquam diu a viris doctis neglecta est, nostra demum aetate, cum multi curam in historia Demosthenis tractanda ponerent, accuratius considerari coepta est. Et in duas quidem partes, id quod fieri solet in omnibus fere scriptis veteribus, virorum doctorum curae versae sunt; nam aut ad res, quae oratione narrantur, spectantes, cum iis compararunt, quae ab Aeschine in defensione sua proferuntur; cumque in singulis rebus magna sit utriusque oratoris dissensio, haud parva difficultas in eo est posita, quomodo rectus rerum gestarum ordo constituendus videatur; aut orationem ipsam tractantes, praeter curas ad textum verborum pertinentes, imprimis num ipsa a Demosthene umquam revera sit habita, quaeque partium singularum compositio fuerit inquisiverunt. Neutram in partem cum iam eo quaestiones pervenerint, ut certi quidquam, de quo iam dubitare non possis, inventum sit; in animo mihi fuit et de rebus gestis et de oratione ipsa h. l. scribere, mox vero cognito, rem esse maiorem, quam quae exiguo paucarum paginarum spatio comprehendi possit, altera de rebus gestis quaestione omissa, quae de oratione ipsa a vv. dd. dicta sunt, colligere, recensere, corrigere, si potero, conabor.

Et primum quidem fuerunt, qui orationem a Demosthene umquam habitam esse negantes, utrunque oratorem scriptas orationes, ac si habitae fuissent, reliquisse contenderint. Usi sunt ad hanc sententiam*) confirmandam Plutarcho, apud quem haec leguntur: „Ὁ δὲ κατ᾽ Αἰσχίνου τῆς παραπρεσβείας ἄδηλον εἰ λέλεκται. Καίτοι φησὶν Ἰδομενεὺς, παρὰ τριάκοντα μόνας τὸν Αἰσχίνην ἀποφυγεῖν. Ἀλλ᾽ οὐκ ἔοικεν οὕτως ἔχειν τἀληθὲς, εἰ δεῖ τοῖς περὶ στεφάνου γεγραμμένοις ἑκατέρων λόγους τεκμαίρεσθαι. Μέμνηται γὰρ οὐδέτερος αὐτοῦ ἐναργῶς, οὐδὲ τρανῶς, ἐκείνου τοῦ ἀγῶνος, ὡς ἄχρι δίκης προελθόντος. Ταῦτα μὲν οὖν ἕτεροι διακρινοῦσι μᾶλλον“; cui pauca quaedam testimonia veterum adduntur. Contra diserte orationes habitas et Aeschinem triginta solis sententiis absolutum fuisse alii tradunt**). Priorem sententiam A. G. Beckerus et A. Westermannus defenderunt, contra Mich. Schmidtius (Diss. inaug. Bonnae 1851) Fried. Frankius (prolegomena in Dem. or. de

*) Vit. Dem. c. 15.

**) Auctores utriusque sententiae accuratissime collecti inveniuntur apud Arn. Schaeferum (Demosth. und seine Zeit II, 387. Not. 1). Cfr. etiam Frankium Proleg. p. 1. 2.

falsa legat. Misenae 1846. Progr.) postremo Arn. Schaeferus (Demosth. B. II. p. 387 sqq.) tam acute disputarunt, ut vix ulla restiterit dubitatio, quin causa re vera acta, orationes ipsae habitae sint. Et ipse Westermannus (prolegom. ad Demosth. oratt. sell. Berl. Weidm. 1856. p. 20.) huic sententiae nunc adstipulatur.

Quae quum ita sint, ne cocta recoquere videamur, hac tota quaestione supersedentes ad alteram quaestionem de compositione singularum partium orationis de falsa legatione transeamus.

Hoc loco imprimis producenda sunt verba Photii p. 491 Beck:

καὶ ὁ κατὰ Μειδίου δὲ καὶ κατ᾽ Αἰσχίνου λόγος αἰτίαν ἔσχε τὸ μὴ τὴν αὐτὴν κατὰ πάντα ἀρετὴν τῷ Δημοσθενικῷ συνδιασώσασθαι χαρακτῆρι· καὶ γὰρ ἐν τοῖς δυσὶ τούτοις λόγοις ἐκ διαλειμμάτων τινῶν ταῖς αὐταῖς ἐννοίαις ἐπιβάλλων ἁμιλλᾶσθαι δοκεῖ πρὸς ἑαυτὸν, ὥσπερ ἀσκούμενος, ἀλλ᾽ οὐκ ἐπ᾽ αὐτοῖς ἀγωνιζόμενος τοῖς ἔργοις. διὸ καί τινες ἔφησαν ἑκάτερον λόγον ἐν τύποις καταλειφθῆναι, ἀλλὰ μὴ πρὸς ἔκδοσιν διακεκαθάρθαι· — — — μάλιστα δὲ ὁ κατ᾽ Αἰσχίνου λόγος παρέσχεν αἰτίαν ἐν ὑπομνήμασι καταλελεῖφθαι οὔπω τὴν ἐργασίαν ἀπειληφὼς τελείαν· διότι καὶ ἃ πρὸς τὴν κατηγορίαν πολλὴν ἔσχε τὴν ἀμυδρότητα καὶ κουφότητα ἐπὶ τῇ τελευτῇ τοῦ λόγου παρέθετο· ὅπερ οὐκ ἂν περιεῖδεν ὁ ῥήτωρ εἰς ἐξέτασιν ἀκριβεστέραν τῶν ἰδίων λόγων καταστάς. — καὶ μέντοι καὶ τὸν παραπρεσβείας τινὲς ἐν ὑπομνήμασί φασι καταλειφθῆναι. ἀλλ᾽ οὐ πρὸς ἔκδοσιν οὐδὲ πρὸς τὸ τῆς ἐργασίας ἀπηρτισμένον γεγράφθαι. διὰ τί; διότι μετὰ τὰ ἐπιλογικὰ, πολλά τε ὄντα καὶ σχεδὸν τὸ πλεῖστον μέρος ἐπέχοντα, πολλὰς πρὸ αὐτῶν ἀντιθέσεις εἰπὼν πάλιν ἐπὶ ἀντιθέσεις ἐτράπετο· — ὅπερ ἀνοικονόμητόν τέ ἐστι καὶ διεῤῥιμμένον. —

Hinc enim potissimum argumenta illa, orationem non habitam esse, desumpta sunt, quae quamquam nunc iam conciderunt, tamen hoc ipso loco alii moti accuratius dispositionem orationis inspicientes orationem perturbato prorsus ordine ad nos pervenisse contenderunt. Cui sententiae cum Fried. Frankius et Arn. Schäferus ll. ll. essent adversati, mox L. Spengelius, vir doctissimus, in Mus. Rhen. a. MDCCCLXI p. 552, quaestione ad regulas veterum rhetorum reducta, ostendens ordinem orationis esse disturbatum, ipse singulas partes suo quamque loco reponere est conatus. Hunc est Voemelius secutus, et ipse his in rebus vir magnae auctoritatis, qui in novissima sua editione*) Demosthenis pro certo habens partes singulas disturbatas esse, tantum non ordinem, quem habet rectum, restituit; numeris tamen ad marginem appositis indicat. Ut melius sententiae horum virorum perspiciantur hoc loco schemate eas ante oculos ponam:

Spengelius:	Voemelius:
I. 1 — 133.	I. 1 — 101.
II. 315 — 331.	II. 332 — 340.
III. 149 (ὅτι γὰρ ταῦτ᾽ οὕτω πέπρακται κ. τ. λ.) — 181.	III. 102 — 133.
IV. 182 — 233 (quibus paragraphis interponendae sunt aliquo loco 134 — 149.)	IV. 315 — 331.
	V. 150 — 233.
V. 234 — 314.	VI. 134 — 149.
VI. 332 — 343.	VII. 234 — 314.
	VIII. 341 — 343.

*) Demosthenis orationes contra Aeschinem, de corona et de falsa legatione. Lipsiae MDCCCLXII.

Jam quaeritur, quibus causis Spengelius ad hanc transpositionem paragraphorum motus sit. Quare nunc breviter argumentationem viri doctissimi narrabo.

Et primum quidem orationem bene procedere usque ad §. 133 censet; cum §. 1—3 prooemium, 4—8 *προκατασκευή*, 9—28 *προκατάστασις* contineantur. Jam inde sequi argumentationem ipsam ad duas res pertinentem: priorem, res Phocensium ab Aeschine perditas esse; alteram, Aeschinem pecunia a Philippo corruptum id fecisse. (§. 29—97. §. 98—133). Utramque partem vero duabus constare debere partibus, confirmatione et confutatione; et eas in priore recto inveniri ordine (29—71 confirmationem; 72—97 confutationem); in altera vero parte inde a §. 134 cum confutatione perturbationem incipere. Id iam indicari verbis, quibus prima praeoccupatio incipiat „*τάχα τοίνυν ἴσως καὶ τοιοῦτος ἥξει τις λόγος*“ cum v. „*καὶ τοιοῦτος*“ quaedam ad confutationem pertinentia praecessisse demonstretur. Sed multo gravius argumentum esse, quod §. 150 ad secundam huius partis praeoccupationem annectatur et nova narratio (150—176) et recapitulatio (177—181) quam (§. 182—186) tertia tandem praeoccupatio excipiat. Hanc esse rem apud oratores rhetoresque prorsus inauditam. Accedere quod sub finem paragraphi 149 lacuna sit, quae dilucide verbis: „*ἀλλὰ νὴ Δία τοὺς συμμάχους ἀπειρηκέναι φήσει τῷ πολέμῳ*“ indicetur, et in ipsa recapitulatione §. 178 post verba: *Φιλοκράτους συναγορεύσαντα* altera lacuna inveniatur, his fere verbis explenda: *μηδὲν ὧν ἐψηφίσασθε* (*προςετάξατε αὐτῷ*) *πεποιηκότα* (*ποιήσαντα*).

Post §. 182—314 nihil turbati inesse videri; mox vero sermocinationem illam (315—331) optime quidem per se esse constructam, sed minus neque cum verbis antecedentibus neque cum sequentibus cohaerere. Tum sequi novam praeoccupationem, (§. 332—336) eandem rem, de qua iam prius dixerit, (§. 147—149) mutatis tantum verbis tractantem, cum iam prius multae praeoccupationes sint productae. Denique conclusionem orationis, eandem sententiam continentem, quam iam prius (§. 134—146) sub praeoccupationis forma tractaverit tanta tamque gravi oratione satis dignam non videri. Huc pertinere Photii verba, qui quod post *ἐπιλογικά* denuo ad *ἀντιθέσεις* Demosthenes se vertisset, id quod *ἀνοικονόμητον καὶ διεῤῥιμμένον* esset, vituperaverit. Haec fere sunt, quae Spengelius in dispositione orationis vituperat. Et ipse orationem disturbatam neque eo, quo a Demosthene scripta sit, ordine nobis traditam esse satis certe demonstratum esse censet; minoris momenti esse, quam medicinam corruptae orationi afferre possit. Nonnulla tamen se proferre velle. — Cum confutatio §. 134 male ad confirmationem annectatur, exclusis quae §. 134—149 contineantur, narratio §. 315—331 ad §. 133 addatur suadet, quam sequantur paragraphi 149 verba „*ὅτι γὰρ ταῦθ' οὕτω πέπρακται καὶ ἐκ τῶν ἐπιλοίπων ἔτι μᾶλλον εἴσεσθε.*“ Sic enim bene iis, quae rex ipse secum cogitaverit (§. 315—331), ea addi, quae legati, ut voluntati eius obsequerentur, revera fecerint. Et quod maximum sit, perversum illum omnibusque regulis rhetorum contradicentem ordinem, quo narratio et recapitulatio addita sit praeoccupationi satis levi, hac transpositione parva esse correctum, cum duae illae partes §. 315—331 et 149—181 inter se cohaerentes, iam addantur confirmationi illi (§. 133) legatos non inscitia quadam motos, sed pecunia corruptos quod fecerint, fecisse; et ipsa verba sub finem paragraphi 133 posita:

ὁρῶν Φιλίππῳ μὲν ὑμᾶς ὀργιζομένους, ὃς ἐκ πολέμου ποιούμενος εἰρήνην παρὰ τῶν πωλούντων τὰς πράξεις ἐωνεῖτο, πρᾶγμα πολλὴν συγγνώμην ἔχον διαπραττόμενος

optime cum initio paragraphi 315 coniungi:

Βούλομαι τοίνυν ὑμῖν ἐπελθεῖν ἐπὶ κεφαλαίων, ὃν τρόπον ὑμᾶς κατεπολιτεύσατο Φίλιππος προςλαβὼν τούτους τοὺς θεοῖς ἐχθρούς.

Tum procedere orationem sine ulla perturbatione usque ad §. 181; et incipere confutationem verbis ἀγανακτήσει τοίνυν αὐτίκα δὴ μάλα κ. τ. λ., quae pertineat usque ad §. 236. Hic aliquo loco, sed ante §. 234 ponendas esse paragraphos 134—149.

Inde a §. 237 sequi τὰ ἐπιλογικά et ea ipsa sine turbatione. Jam restare §§. 332—343, quae quomodo cum reliqua parte orationis coniungi possint, haud facile dictu esse. Neque Spengelius quo loco ponendae sint disertis verbis exponit, quamquam deesse non posse ex Aeschinis oratione ipse concludit.

Spengelius quum copiosius totam rem exposuisset, Voemelius qui illum sequitur, paucis dispositionem, quam rectam habet, defendit. Verba eius haec sunt (praefat. p. VII.):

„Locum §§. 332—340, qui ubi nunc legitur suspensus est, inter §§. 101 et 102 ponendum esse nos quidem censemus. nam illo capite (quod §. 101 finitur) de pace per imperatores malos male constituta actum erat, altero autem loco (§§. 332—340) agitur de Charete, qui bellum male gesserat, et de Aeschine, qui voce sua ad reipublicae detrimentum abutebatur. Bene igitur procedit sententia ad §§. 102 sqq., ubi omnia perdita esse per oratores malos, Aeschinem εὔφωνον eiusque socios. Deinde praeoccupatio §§. 134—149, non timendum esse, ne Philippi inimicitia contra Athenas exoriatur ex Aeschinis condemnatione, optime adnectitur ad caput §. 233 finiens, ubi Aeschinem esse condemnandum exponitur. Denique non persuasit mihi Spengelius perhibens deesse orationis finem. Conclusio §§. 341—343 nobis quidem non displicet."

Sic Virorum doctorum sententiis enarratis, quid de iis censeamus exponamus.

Imprimis Photii verba accuratius inspicienda videntur. Primum obiicitur ab eo Demostheni: „ἐκ διαλειμμάτων τινῶν ταῖς αὐταῖς ἐννοίαις ἐπιβάλλων ἁμιλλᾶσθαι δοκεῖ πρὸς ἑαυτὸν ὥσπερ ἀσκούμενος, ἀλλ᾽ οὐκ ἐπ᾽ αὐτοῖς ἀγωνιζόμενος τοῖς ἔργοις." Quae quid significent, satis clarum videtur. Vituperat enim, quod Demosthenes easdem semper res producit, verbis solis et sententiarum nexu mutatis. Quare non personam oratoris apud iudices dicentis, sed se ipsum in scholae umbraculis exercentis agere videri. Sed mirum est, hoc loco id vituperari, quod iure maxima Demosthenis laus in hac oratione videri debeat. Nam quum causa coniecturalis esset, quae argumentis levissimis nitebatur, oratoris boni erat, ea ipsa, quibus iudicibus persuadere se posse sperabat, iterum iterumque commemorare, sed ita, ut novi semper quiddam proferre videretur. Quare res Phocensium, Aeschinis apud populum orationes de hac re habitae saepissime commemorantur.

Quae quum ita sint, hoc ipsum argumentum a Photio prolatum tam leve videtur, ut reliqua cum suspicione quadam excipiamus. Pergit: „καὶ ἃ πρὸς τὴν κατηγορίαν πολλὴν ἔσχε τὴν ἀμυδρότητα καὶ κουφότητα ἐπὶ τῇ τελευτῇ τοῦ λόγου παρέθετο." Infirma igitur et levia argumenta in extrema oratione posita esse dicuntur. Nisi postea praeoccupationes illae commemorarentur, h. l. has intelligendas esse putarem. His igitur omissis recapitulatio, quae incipit verbis: βούλομαι τοίνυν ὑμῖν

ἐπελθεῖν ἐπὶ κεφαλαίων κ. τ. λ., et ingeniosissima illa tractatio sententiarum Solonis et Sophoclis intelligenda videtur. Sed mea quidem sententia tantum abest, ut his locis oratio languescat, ut et animi ardore altius efferatur et accuratissima eaque alacerrima recapitulatione quae prius fusius dicta erant presse complectatur. Jam sequuntur: „*καὶ μέντοι καὶ τὸν παραπρεσβείας τινὲς ἐν ὑπομνήμασί φασι καταλειφθῆναι, ἀλλ' οὐ πρὸς ἔκδοσιν γεγράφθαι. διὰ τί; διότι μετὰ τὰ ἐπιλογικὰ, πολλά τε ὄντα καὶ σχεδὸν τὸ πλεῖστον μέρος ἐπέχοντα, πολλὰς πρὸ αὐτῶν ἀντιθέσεις εἰπὼν πάλιν ἐπὶ ἀντιθέσεις ἐτράπετο*". Missum faciam h. l. Photium orationem Demosthenis contra Aeschinem et orationem de falsa legatione duas habere diversas. Hac enim re demonstratur quidem, Photium ipsum orationem non legisse, nihilominus tamen sententiam auctoris proferre potest satis gravis in iisque rebus bene versati. Quum *ἐπιλογικὰ πολλά* commemorentur, dubium non videtur, quin h. l. omnia, quae post §. 237 satis multa revera proferantur, intelligenda sint. Et recte quidem offensionis quiddam inest in repetitione illarum praeoccupationum, quod quomodo interpretandum sit, postea videbimus. Jam vero hoc toto Photii loco perspecto iure contendere possumus, aut levia aut falsa ab eo esse prolata; perturbationem vero illam, quam Spengelius in media oratione invenisse sibi visus est, nusquam commemorari. Neque hoc fugit virum doctissimum et subtilissimum, sed coniicit, male Photium quae legisset reddidisse eumque, qui pertubationem orationis sub finem detexisset, certe multo maiorem in media fugituram non fuisse. Sed aliud est disertis verbis nobis aliquid narrari, aliud id coniicere. Neque exstat apud rhetores nobis servatos, qui certe multi sunt, locus, quo id, quod Spengelius castigavit, vituperetur; quamquam tantum abest, ut oratio de falsa legatione a rhetoribus neglecta sit, ut permulta ex ea ab iis ad regulas probandas exempla deprompta proferantur. Quare idem, quod Spengelius initio commentationis dicit, mirum esse, veteres, qui componendae orationis artis peritissimi fuerint, vitia iis locis invenisse, quibus recentiores omnia perfecte et bene collocata putent, ab iis, qui ordinem traditum defendunt, in suam partem trahi potest, quum apud neminem, quantum quidem scimus, rhetorum veterum ea, quae Spengelius castigavit, vituperata inveniamus.

Sed iam ad rem ipsam accedentes primum, quod maximum est, de perturbatione inde a paragrapho 134 a Spengelio inventa dicamus.

In propositione (*προκατασκευή*) §. 3 Demosthenes de quinque rebus se dicturum esse pollicetur, primum quae Aeschines renuntiaverit, tum quae persuaserit, tertio quae ei mandata fuerint, quarto de temporibus, denique eum omnia pecunia corruptum fecisse; quae repetuntur in recapitulatione (§. 177. 178). Neque tamen eodem ordine, quo h. l. commemorantur, de his rebus agit. Neque necesse est, nam propositione orator id agit, ut auditores sciant, quid sit, quod in quaestione versetur*), non, ut ordinem, quo de his rebus dicturus est, intelligant. Quare non miramur, si Demosthenes omnes quidem illas res, quas hoc loco commemorat, tractat, sed alio ordine tractat.

Jam videamus, quemadmodum hae propositionis partes ad accusationem totam referri possint.

---

*) Cf. Quintil. IV, 4. Ulp. ad §. 4: *ἤτοι γὰρ τὴν ὑπόθεσιν ἅπασαν ὁ ῥήτωρ συμπεπλεγμένην ὁρῶν καὶ πολλῶν πραγμάτων περιεκτικὴν καὶ δυσδιάκριτον, διὰ τούτου δεῖται τῆς προκατασκευῆς, ἵνα τὴν σύγχυσιν ἅπασαν διαλύσῃ· καὶ εἰς κεφάλαια τὴν ὑπόθεσιν ἀνάγων παρασκευάσῃ τοὺς ἀκροατὰς ὥσπερ πρός τινας κανόνας ἀποβλέποντας.*

Quum duae legationes sint, quarum Aeschines particeps fuit, Demosthenes priorem prorsus fere omittens, in secunda omnem Aeschinis culpam ponit; nam et ipse, cum prior rediisset legatio, nondum intellexerat, Aeschinem corruptum esse*), et apud senatum populumque legem tulerat, legatos et laudandos et in prytaneum ad coenam publicam esse vocandos**). In altera vero legatione Aeschinis culpa et in itinere ad Philippum et post reditum in comitiis populi, cum falsis nuntiis promissisque Athenienses ita deceperit, ut Phocenses non adiuvarent, apparet. Utraque res ad eundem pertinuit finem, Phocensium interitum, quare res singulae a Demosthene eodem, quo factae erant ordine, narrari potuerunt, si de omnibus aequaliter Atheniensibus persuadere, omnes iisdem iisque firmis testimoniis munire potuisset. Sed longa alia erat ratio rerum in Macedonia atque rerum Athenis gestarum. Nam omnia, quae ibi gesta erant, incerta esse oportebat, cum Demosthenes nullis aliis testibus uti posset, quam legatis, qui quum ipsi eadem qua Aeschines culpa tenerentur, ut ex ipsa videmus oratione, quantum potuerunt, accusationem infirmare conabantur***). At quae Athenis facta erant, omnes sciebant, non opus erat testibus, nam quicunque illis temporibus Athenis vixerat, recordabatur, Aeschinem in concione pollicitum esse, Thebanis a Philippo bellum illatum, Phocenses servatum iri; quarum omnium rerum postea contrarium factum est. Neque erat res, quae magis indignationem Atheniensium movere posset; quum unius hominis calliditate decepti, neque ipsi emolumenti quidquam accepissent, et Phocensibus deletis, Thebanos potentes fecissent, Philippo introitum in Graeciam et facultatem, quoties vellet, res Graecas perturbandi dedissent.

Quae quum ita essent, dubium Demostheni esse non potuit, quin ea potissimum, quae Aeschines Athenis gesserat, tractanda essent, quumque magni momenti esset, iam initio orationis animos iudicum in Aeschinem excitari, eas ipsas res Athenis gestas primas Demosthenem ad iudicium vocare necesse erat. Quod et ipsa propositione indicat. Quum enim quae legatus civibus nuntiavisset quaeque iis persuasisset primo loco posuisset, nihil aliud indicare voluit, quam quae Aeschines in illis comitiis in medium protulisset; reliqua duo capita de temporibus quaeque legato mandata fuerint ad res in Macedonia factas pertinere apparet. Tertium denique caput est Aeschinem pecunia corruptum neque inscitia ductum quae fecerit fecisse. Sic tota accusatio, quae quidem ad res ipsas pertinet, tribus partibus constat:

1) Athenienses ab Aeschine esse deceptos.
2) In Macedonia Aeschinem non ea egisse, quae ei mandata fuissent.
3) Pecunia corruptum esse.

Sed ne has quidem partes eo ordine, quem nunc constituimus, tractavit; quod cur fecerit, facile inveniri potest. Quod enim iam prius diximus, causam non certis argumentis stabilitam, sed totam coniecturalem esse, id hoc loco repetendum videtur. Deerant certa testimonia Aeschinem pecuniam a Philippo accepisse, nam qui soli certi aliquid proferre potuerunt, reliqui legati, iidem

*) §. 13. §. 27.
**) §. 234.
***) Cfr. §. 177.

veriti, ne in se ipsos poena redundaret, Aeschinem quoquomodo defendere sunt conati. Quare nihil aliud Demostheni restitit, quam ut ex Aeschinis agendi ratione suspicionem iudicum moveret. Idque variis locis fecit. Nam iam ab initio*), priusquam ad narrationem transierit, inconstantiam Aeschinis vituperat, qui quum antea acerrimus adversarius Philippi fuisset totamque Graeciam in illum excitare conatus esset, mox post primam legationem, omni suspicione abiecta, maxima cum confidentia illi se tradidisset. Neque quo loco de rebus gestis in Macedonia dicit, desunt signa Aeschinem pecunia corruptum fuisse; sed haec omnia levia sunt, neque ex ulla re melius id demonstrari potuit, quam ex ratione, qua Aeschines post Phocenses pessumdatos se gessisset. Quare ne tota narratio iusto magis distraheretur, postquam res Phocensium narravit, Demosthenem de Aeschinis corruptione agere necesse erat. Ita ordine partium mutato, secundo loco Aeschinem pecunia corruptum esse, tertio de itinere in Macedonia facto dicit.

Jam apparet, qua in re a Spengelio, viro doctissimo, dissentiamus; nam cum ille duas partes constituerit, alteram, qua res Phocensium tractantur, alteram, qua demonstretur Aeschinem pecunia corruptum fuisse, totum vero illum locum, quo iter legatorum in Macedoniam quaeque ibi egerint narratur, ad praeoccupationem alterius partis inepte additum habuerit; nos tres partes discernendas esse censemus. Quod ut melius probetur (nam adhuc in universum tantum de dispositione locuti sumus) nunc ad singulas partes sententiasque in iis expressas accuratius contemplandas transeamus.

Prooemium, quod tres primas paragraphos complectitur maximaque arte compositum est, tribus constat partibus; prima hortatur judices orator, ut nulla alia se duci ratione patiantur nisi iustitia; secunda Aeschinem minis poenam effugere conari, tertia propter longum temporis intervallum, ne iudices oblivione rerum capti minus severe iudicent, se timere orator explicat. Quod ne fiat quinque res animadvertendas esse. Sic transitus ad propositionem facile apteque munitur (§. 4). Tum exposito, cur hae potissimum res spectandae sint (5—8), orantur iudices, ut si Aeschines in omnibus his rebus peccavisse convictus sit, dignum de eo supplicium sumant (8). Sequitur nova pars, quam Spengelius *προκατάστασιν*, Ulpianus modo *κατάστασιν***) modo *διήγησιν* ***) vocat. (9—29). Nec multum refert, quod nomen demus; nam his nominibus idem fere significatur†). Constat vero tribus partibus; prima (9—17) quid Aeschines ante secundam legationem fecerit, quam acer adversarius Philippi antea fuerit, quam celeriter post primam legationem mutatus sit, id quod fieri non potuisset, ni pecunia corruptus essset, narratur; altera (17—25) presse quomodo Aeschines Athenienses post alteram legationem deceperit explicatur, ita ut desit sola narratio de interitu Phocensium††); tertia cur hae ipsae res h. l. narratae sint docetur.

---

*) §. 9.

**) Ulp. ad §. 9. *αὕτη ἐστὶν ἡ κατάστασις.*

***) ad §. 25. *πληρώσας τὴν διήγησιν.*

†) Cfr. Syrian. ap. Walz. IV, p. 594. — Anonym. ad Hermogenis *περὶ εὑρέσεως* ap. Walz. VII. p. 719—723. 725.

††) Ab initio huius narrationis claris verbis indicatur, alio loco, quomodo Aeschines tempus triverit, oratorem narrare velle: „*ὃν μὲν οὖν τρόπον . . . τοὺς χρόνους κατέτριψε καὶ τὰ πράγματα πάντ᾽ ἐλυμήνατο τὰ τῆς πόλεως . . . αὐτίκα ἀκούσεσθε*“. Sic haec narratio alteri, quae sequitur §. 150 opponitur.

Jam venimus ad ipsam argumentationem (29—237). Primum tractantur res Phocenses (29—98), et ita quidem, ut narratione accurata, cui addita sunt et plebiscita et testimonia et epistolae, explicetur Aeschinem id quod ipse Philippus promittere noluisset, Atheniensibus nuntiavisse, ut illi decepti Phocenses Philippo traderent (29—72). — Huic toti confirmationi additur confutatio earum rerum, quas Aeschines ad se defendendum proferre potuit (72—98); ita ut prima de rebus Phocensium pars duabus partibus confirmatione et confutatione constet. Confirmatio ipsa quamquam, ut necesse erat, maximam partem res factas narrat, tamen vereor, ut recte *διήγησις* nominari possit; nam et longior est et interpositis saepissime documentis interrumpitur neque raro oratio ad res vagatur, non ita arte cum narratione ipsa coniunctas*). Quare recte mihi hoc loco Ulpianus**), partem quam rhetores *ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους****) vocant invenisse videtur. Tota confirmatio vero tam artificiose composita est, ut non possit melius; quod nunc exponere longum est; cfr. Ulpian. ad §§. 29. 38. 47. 51. 53. Confutatio res tractat quam artissime cum iis, quae in confirmatione commemoratae sunt, coniunctas.

1. Aeschinem prius in Lacedaemonios tum in Phocenses denique in Hegesippum omnem culpam jacturum esse. (72—78).

2. Aeschinem pro Thermophylis amissis et Phocensibus pessumdatis Chersonesum Atheniensibus servatam esse dicturum (78—80).

3. A nemine Phocensium Aeschinem accusari (80—88).

4. Pacem magnis laudibus tollendo invidiam legationis suae Aeschinem levare conaturum esse (88—98).

Hinc transit ad secundam partem, qua demonstratur Aeschinem pecunia esse corruptum (98—150)†).

Prooemium ad hanc partem complectitur §§. 98—102.

Sequitur confirmatio (102—134) haec capita pertractans:

1. Aeschines si corruptus non esset, odisse quam maxime Philippum eiusque perfidiam, qua ipse deceptus esset, vituperare debuit; sed nemo umquam tale quidquam ex Aeschine audivit.

2. Quum legati Amphictyonum Athenas venissent postulantes, ut Athenienses Philippum in Amphictyonum foedus reciperent, nemo praeter Aeschinem, quem decuit quam maxime iis adversari, eos adiuvit (111—114).

3. Philocrates quamquam sine ulla dubitatione proditionis scelere erat obstrictus, tamen ab Aeschine semper defensus est; quod nunquam fecisset, nisi eadem culpa teneretur (114—116.)

---

*) Sic iam §. 29 monentur judices, ne Aeschinem leviorem habeant, quam qui tam multa perficere possit. §. 41 legitur epistola Philippi iam ante pacem factam conscripta. §. 52 iam prius plebiscito Philocratis commemorato res tractantur, quae ante illud plebiscitum factae erant. §. 61 *συμμαχία Φωκέων καὶ Ἀθηναίων* ad nexum narrationis necessaria non videtur. Neque, quae a §. 67 usque ad §. 72 sequuntur iustae narrationi apta videntur.

**) Ulp. ad §. 31 *μετέβη πάλιν ἐντεῦθεν ἐπὶ τὸ κεφάλαιον, οὗπερ ἦν ἐξ ἀρχῆς τὸ προοίμιον, λέγω δὴ τοῦ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους.* Cfr. Ulp. ad §. 34 et §. 72 *ἰστέον δὲ ὅτι πληρώσας τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, ἐπὶ τὰς ἀντιθέσεις αὐτοῦ τοῦ Αἰσχίνου μετέρχεται.*

***) Cfr. Hermog. *περὶ στάσ.* ed. Walz. IV, p. 354, et Syrianum Sopatrumque ad h. l.

†) Ulp. *Ἕως ὧδε ἐπλήρωσε τὸν πρῶτον στοχασμὸν καὶ ἄρχεται ἐντεῦθεν τοῦ δευτέρου κ. τ. λ.*

4. Quum in iudicio Philocratis Demosthenes reliquos legatos hortatus esset, ut nulla societate se cum Philocrate coniunctos esse faterentur; ni id fecissent, se eos eadem culpa teneri putaturum; Aeschines nihil dixit (116—120).

5. Neque opus est testibus in Aeschinem, cum res gestae in eum testentur (120). Imprimis id apparet ex tertia eius legatione ad Amphictyonas. Nam cum prius aegritudinem praetendens Athenis remansisset, ut impediret, quominus Athenienses consilium Philippo infestum caperent; mox audito Phocenses subiectos esse, Thebas profectus est (121—128).

6. Tum quum ad Philippum venisset, adeo erat immemor honesti, ut particeps esset coenae illius, quam Philippus ad victoriam celebrandam instituit, paeanaque caneret una cum hostibus Atheniensium (128—131).

Conclusio (131—134). Qua re necesse est, Athenienses quam severissime supplicium de Aeschine sumere.

Jam venimus ad confutationem secundae partis. Sed priusquam de ea dicamus, necesse est de Voemelii sententia paragraphos 332—340 post paragraphum 101 inculcantis verba facere, quam quaestionem, ne nexus sententiarum interrumperetur, illo loco omisimus. Persuasum enim mihi habeo moxque aliis me persuasurum esse puto, hanc mutationem fieri nullo modo posse. Paragraphis 332—340 refutat argumentum Aeschinis, Charetem effecisse, ut mala pax fieret; tum monentur Athenienses, ne magnifica Aeschinis voce decipi se sinant. Jam §. 91—94 idem, praeterquam quod Chares non nominatur, de ducibus contenditur. Cur igitur Demosthenes easdem fere sententias tam parvo intervallo facto repetat? Et quo loco repetat? Nempe eo, quo iam transitum ad secundam partem sibi paravit; nam hoc quidem luce clarius videtur esse paragraphis 98—102 iam prooemium partis secundae contineri. Quae transpositio quum hac de causa iam inepta videatur, accedunt alia quaedam, quae idem probant. §. 333 haec leguntur: *„τῷ μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῆς ὑστέρας πρεσβείας τοὺς χρόνους κατατρῖψαι καὶ μηδὲν ὧν προσετάξαθ' ὑμεῖς ποιῆσαι* (sc. *ἄρχομαι κατηγορεῖν*)." Commemorantur igitur h. l. quae Aeschines in Macedonia fecerat, quamquam, si quidem has paragraphos eo, quo Voemelius loco ponimus, de his ipsis rebus Demosthenes nondum egit. Item nominantur §. 334 *Δορίσκος, Κερσοβλέπτης, Ἱερὸν ὄρος;* sed ne horum quidem Demosthenes adhuc mentionem fecit. Porro, quae §. 335 leguntur *„τί οὖν, εἴ τι Δημοσθένης ἠδίκει, νῦν λέγεις;"* pertinere videntur ad ea, quae Demosthenes 201—229 et 234—237 tractat. Denique §. 338 leguntur: *„οὗτος δ' ἐκείνου μὲν προὐκαλινδεῖτο καὶ τοὺς παιᾶνας ᾖδεν"*, quae pertinent ad §§. 128—131. Nonne autem ineptum videtur tot et tam graves res prius in praeoccupatione ut notas leviter tangi, quum postea multis verbis narrentur.

Et haec quidem ad praeoccupationem pertinent; sed additae sunt paragraphi 337—341 ita, ut distrahi a prioribus nullo modo possint. His de voce Aeschinis orator multa dicit; quae quomodo bene addi possint ad prooemium eius partis, qua demonstraturus est, Aeschinem pecunia corruptum esse, equidem intelligere non possum. Multo melius haec ponuntur in extrema oratione; mox enim iudices magnificam illam et claram vocem erant audituri, faciliusque tenebant, quae orator de voce illa monuisset, si extrema oratione, quam si media ea audiverant. Et ipsa verba: *„οὕτως οὖν ἀκούετε"* haec omnia in extrema oratione posita fuisse indicare videntur.

2

Restat, ut rhetores veteres examinemus, qui si hunc locum citantes in eo non haeserunt, ne nos quidem mutabimus. Habemus vero de hoc ipso loco iudicium rhetoris satis amplum. Marcell. ad *στάσ.* Hermogen. IV, p. 426 quo loco de recapitulatione tractat, vario modo recapitulationem fieri posse memorans, haec de Demosthene addit: „*ἔστι καὶ ἀπὸ συγχωρήσεως ἐπὶ τῷ κατὰ διορισμὸν σχήματι* (sc. *ἡ ἀνακεφαλαίωσις*)· *ὅτ᾽ ἂν τοῦ ἀντιδίκου εἰς ἕτερον μεθίσταντος, περὶ μὲν τούτου μὴ ἀκριβολογώμεθα, αὐτοὶ δὲ ὁριζώμεθα, ἐφ᾽ οἷς τὴν κατηγορίαν ποιούμεθα· ὡς ἐν τῷ κατ᾽ Αἰσχίνου Δημοσθένης· Αἰσχίνου γὰρ ἄγοντος ἐπὶ Χάρητα τὴν αἰτίαν τῶν ἐγκλημάτων ὡς στρατηγὸν, περὶ μὲν τούτου οὐδὲν ἔφη διϊσχυρίζεσθαι, εἰ καὶ ὅτι μάλιστα λεληθότως ἀπολογεῖται ὑπὲρ Χάρητος, ὡς πάντα ὑπὲρ τῆς πόλεως πράξαντος· ὡρίσατο δ᾽ ἐφ᾽ οἷς Αἰσχίνου κατηγορεῖ εἰπὼν· „ἐγὼ γὰρ οὐδὲν .... ἀλλ᾽ ἄχρι τούτου πάντ᾽ ἀφίημι·“ εἶτα διορισμός· „τί οὖν λέγω καὶ πόθεν ἄρχομαι κατηγορεῖν καὶ τὰ ἑξῆς“.*“ Producit igitur h. l. Marcellinus exemplum recapitulationis, quae ita instructa sit, ut orator adversario aliquid concedens accuratius distinguat, quid sit, quod in iudicium vocet; id quod facit Demosthenes §§. 333—337. Recapitulatio vero quum semper sub finem sive partis sive argumenti sive totius orationis ponatur (cfr. Marcell. IV, p. 426, 20), iam inde intelligimus, Marcellinum, quum has paragraphos extrema in oratione invenisset, in iis non offendisse; contra si recte sunt notata, quae Marcellinus notavit, fieri non potest, ut hae paragraphi eo inculcentur loco, quo quum prooemium secundae partis perfectum sit, recapitulationi locus omnino esse non potest. — His omnibus argumentis movemur, ut Voemelii auctoritatem h. l. non sequamur.

Jam redeamus ad dispositionem orationis. Usque ad paragraphum 134, nemo est, qui omnia bene procedere rectoque ordine posita esse neget. Sed inde ab hoc loco exoritur controversia; nam tam Spengelius quam Voemelius hoc loco §§. 315—331 inserunt, ad quas §§. 150—233 addunt. Quod cur Spengelius fecerit, iam prius exposuimus; nunc quid de hac transpositione censeamus, dicemus.

Et primum quidem concedimus, offensionis aliquid inesse in ratione, qua confutatio annectitur ad confirmationem. Cum enim „*καὶ τοιοῦτος*“ dicat, ad alias praeoccupationes respicere nobis videtur. Sed sententiarum ipsarum nexus videtur quam aptissimus. Demonstraverat modo orator Aeschinem pecunia corruptum maximis suppliciis afficiendum esse (131—132). Quid igitur aptius videtur, quam occurri praeoccupationi, Aeschinis supplicium Philippi iram moturum esse; ita ut una ipsa enuntiatione hae sententiae coniungi possint: „Punite Aeschinem neve timete, ne poena Philippi iram moveatis, e contrario etc.“ Quae quum ita sint, illo solo v. *καὶ* moveri non debemus, ut ordinem mutemus; praesertim quum hoc praeoccupationis initio ad eas res respicere possit, quas in prima parte refutaverat. Similiter Demosthenes introducit praeoccupationem in Aristocratea p. 657 R. Quum enim alteram orationis illius partem, Aristocratis legem reipublicae inutilem esse, inceperit; praeoccupationem sibi his verbis opponit: „*ἀκούω τοίνυν αὐτὸν καὶ τοιοῦτόν τιν᾽ ἐρεῖν λόγον, οἷον κ. τ. λ.*“; quo loco v. *καὶ* ad ea, quae in prima parte orationis refutata sunt, pertinere videtur. — Si autem apto sententiarum nexu, quo praeoccupatio additur, moti, §. 134 et sqq. hoc loco retinemus, fieri non potest, ut quidquam secernamus usque ad §. 150; cum haec omnia optime inter se cohaereant. — Nam praeoccupatione, iudices damnatione Aeschinis Philippi iram esse moturos, ad Thebanos illos legatos orator ducitur, qui quum ipsi pecunia se corrumpi non essent passi, Philippum coëgerunt,

ut amicitiam Thebanorum omnium non donis, quae singulis daret, sed emolumentis toti reipublicae praebitis sibi conciliaret. Cui refutationi mox aptissime secunda huius partis praeoccupatio (§. 147) additur, pacem bonam facere Aeschinem nequivisse, bello a ducibus male gesto; nam illorum ipsorum Thebanorum exemplo docetur, etiamsi male res gestae essent, legatorum integritate et constantia mala corrigi potuisse. Quae omnia tam luculenter a Demosthene sunt adumbrata, ut his verbis alteram partem iam finiri facile appareat. Quare Marcellinus haec *ἀνακεφαλαίωσιν* nominat IV, p. 425: *ἡ ἀπὸ τῆς πρὸς ἕτερον ἀντεξετάσεως* (sc. *ἡ ἀνακεφαλαίωσις γίγνεται*) *ὡς ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ* (sc. *περὶ παραπρεσβ.*) *Δημοσθένης· πρὸς ἑτέρους γὰρ ἐξετάζων πρεσβευτὰς ἀναγκαίαν τῆς ἀνακεφαλαιώσεως τὴν εἰσαγωγὴν ἐποιήσατο.*

Sic naturali quadam ratione Demosthenes ad tertiam partem orationis perducitur, neque video quomodo Spengelius dicere potuerit (p. 564) narrationi insequenti cum praeoccupationibus autecedentibus nihil commune esse. Nam postquam praeoccupationibus Demosthenes demonstravit, non propter duces, qui male rem gessissent, turpem inutilemque pacem factam esse, sed quia legati pluris sua commoda quam rempublicam fecissent; iam in eo est, ut accuratius legatorum facta in ipsa legatione explicet.

Restat, ut de lacuna, quam Spengelius post verba: „*ἀλλὰ νὴ Δία τοὺς συμμάχους ἀπειρηκέναι φήσει τῷ πολέμῳ*" invenit, loquamur. Et primum quidem, praemittendum videtur, si Spengelius recte viderit, h. l. non pauca deesse (p. 564); iam inde ea, quae de transpositione paragraphorum contendit, labefactari. Nam si multa h. l. desunt, deesse potest etiam transitus ad tertiam, quam nos statuimus, partem et mirum illud monstrum, quod vocat Spengelius, narrationem ad praeoccupationem additam esse satis levem, hac una lacuna e medio tollitur. — At diu multumque mihi de hac re cogitanti denique eiicienda verba cum editoribus novissimis (praeter Voemelium) visa sunt. Nam quum prius de victoriis Phocensium Demosthenes locutus esset, fieri nullo modo potuit, ut, ne sub Aeschinis quidem persona, talem obiectionem adderet, quae iam verbis antecedentibus refutata esset, quamque nisi iisdem argumentis, quae modo in medium protulerat, refutare non posset. Quare recta vidisse Arn. Schäferus videtur (Dem. III, 2 p. 66 not.) qui lectoris cuiusdam manu verborum, quae sunt Olynth. III, 8 p. 30. *ἀπειρηκότων δὲ χρήμασι Φωκέων* reminiscentis, haec addita esse censet. Neque quod Spengelius monet, verbis *νὴ Δία* indicari obiectionem hic intelligendam esse, cum lector notas ad textum scribens sic certe non scripsisset, me movere possunt; nam ille, quicumque scripsit, mirans, quod Demosthenes hoc loco prorsus alia, atque Ol. III, 8 dicit, verbis ipsis illam admirationem exprimere videtur. —

Sic nostra sententia de iusto ordine paragraphorum defensa iam accuratius investigemus, quid de Spengeliique Voemeliique transpositione iudicandum sit. Erit vero secundum eorum sententiam hic ordo rerum a Demosthene tractatarum. Primum res Phocenses narrantur eaque, quibus Aeschines excusare se possit, refutantur; tum ostenditur Aeschinem pecunia corruptum fuisse, tertio iterum, quomodo res Phocenses fraude Philippi deletae sint, narratur, quarto tandem loco, quomodo legati in Macedonia se gesserint, explicatur. Jam ex hac compositione apparet orationem si hunc ordinem statuimus tertio loco retardatam videri; et eo quidem loco, quo iudices cupidi sunt audiendi, quomodo tempora trita mandataque ab Aeschine non sint perfecta, iterum ad Phocenses, de quibus

modo audiverant, reducuntur. Accedit, quod verbis: „βούλομαι τοίνυν ὑμῖν ἐπελθεῖν ἐπὶ κεφαλαίων“ recapitulatio introducitur, quae illo quidem loco apta non videtur; quum ea sola, quae prima orationis parte tractata erant, repetat, ex iis vero, quae secunda, nihil addat. Jamque singulae quoque res Spengelio Voemelioque adversari videntur. §. 323 legitur: „τοὺς χρόνους ὑμῶν ἀφελέσθαι“ neque tamen quidquam adhuc de temporibus ab Aeschine tritis dictum est; id explicatur §§. 150—177. Eodem loco paulo post haec inveniuntur: „ὥσπερ ἀκηκόατ' ἤδη πολλάκις οὐχὶ δυνηθεὶς προαπελθεῖν, ἀλλὰ καὶ μισθωσάμενος πλοῖον κατακωλυθεὶς ἐκπλεῦσαι“. At semel tantum adhuc id a Demosthene memoratum est §. 51; praeterea §. 174 si non navem a se conductam commemorat, tamen dicit: „καὶ τὴν μὲν γραφεῖσαν ἐπιστολὴν ὑπ' ἐμοῦ πρὸς ὑμᾶς ἀπεψηφίσαντο μὴ πέμπειν“ quae idem significant, quod §. 323 legitur, Demosthenem Atheniensibus, quae in Macedonia vidisset, nuntiare non potuisse. Alio loco Demosthenes hanc rem non memorat. Denique §. 328 haec sunt: „οὗτοι δὲ χρήματα ἔχουσιν ἐπὶ τούτοις καὶ μέχρι τῆς τήμερον ἡμέρας δίκην οὐ δεδώκασιν. ὅτι γὰρ ταῦθ' ἁπλῶς δεδωροδόκηνται καὶ τιμὴν ἔχουσιν ἁπάντων τούτων οὗτοι, πολλαχόθεν μὲν ἔγωγ' οἶμαι δῆλον ὑμῖν εἶναι πάλαι, καὶ δέδοικα μὴ τοὐναντίον οὗ βούλομαι ποιῶ, σφόδρα ἀκριβῶς, δεικνύναι πειρώμενος, διοχλῶ πάλαι τοῦτ' ὑμᾶς εἰδότας· ὅμως δ' ἔτι καὶ τόδ' ἀκούσατε.“ Tum novum argumentum sequitur, quo, docetur legatos corruptos esse, Philippum enim multa dona iis dedisse. Quid vero ineptius videtur, quam loco, qui sequitur partem, qua doctum est Aeschinem pecunia esse corruptum, iterum hanc rem hoc modo tangi novumque argumentum quam gravissimum, legatos multa dona a Philippo accepisse, tam leviter et quasi praetereuntem oratorem proferre. Et haec ipsa res multo copiosius tractata est §§. 145—147; §§. 167 — 169; quare quod hoc loco legimus recapitulatio harum paragraphorum videtur esse. Postremo conclusio paragraphi 331, qua annectitur ad §. 150, inepta videtur: ταῦτ' οὖν μαρτύρων, ταῦτ' ἐλέγχων τινῶν ἔτι δεῖται μειζόνων; ταῦτ' ἀφαιρήσεταί τις ὑμῖν; — ὅτι γὰρ ταῦθ' οὕτω πέπρακται, καὶ ἐκ τῶν ἐπιλοίπων ἔτι μᾶλλον εἴσεσθε.“ Non dicam v. πέπρακται aptum non videri; quis vero talem nexum enunciationum eumque apud oratorem celeberrimum ferre possit: „Non opus est maioribus argumentis; haec enim sic facta esse, etiam ex iis quae restant percipietis“.

Quibus omnibus causis moti ordinem, quem nunc apud Demosthenem invenimus, retinendum esse censemus. Continet igitur confutatio secundae partis duas praeoccupationes 1) damnationem Aeschinis tantum abesse, ut iram Philippi motura sit, ut ea eundem et cautiorem et benevolentiorem Atheniensibus sit factura. 2) Neque quod duces male res gessissent, malam pacem factam esse; sed quod legati pecunia corrupti essent. Idque iam melius ex reliquis intelligi posse.

Tertia argumentationis parte de iis, quae a legatis in Macedonia facta sint, agitur.

Et primum quidem, quantum in itinere commorati sint, qua cunctatione socii Atheniensium in Thracia perditi sint (§. 156), narratur (§§. 150—158); tum ne illo quidem tempore satis longo usos esse ad id, quod iis mandatum esset, perficiendum, sed pacem fecisse ut Philippus voluisset (158—163). Priore tamen in legatione, quum nondum corrupti essent, maxima cum festinatione idem iter fecisse (163—166). Tum quid in Macedonia ipsa fecerint, quot dona Philippus iis obtulerit, quae Demosthenes respuerit narratur (166—169). Jam ad ea, quae ipse in Macedonia perfecerit accuratius adumbranda orator transit (169—174); quibus cum ceterorum legatorum facta, tum imprimis ea, quae Aeschines secreto cum Philippo perfide egerit, opponuntur.

Sequitur recapitulatio omnium earum rerum, quae adhuc prolatae sunt (177—182), qua respiciens ad propositionem (προκατασκευήν) quinque illa capita a se proposita iam probata esse, orator demonstrat. Et eam ipsam recapitulationem Hermogen. W. IV, 411 et Marcellinus ad eund. loc. IV, 426 commemorant.

Jam finita confirmatione restat sola confutatio ad partem tertiam annexa postque eam τὰ ἐπιλογικά. Confutatio a §. 182 usque ad 237 pertinet. Constat ex his praeoccupationibus:

1. Aegre feret Aeschines, quod solus orationum a se habitarum rationem reddere debeat. At recte rationem reddet; nam legatorum sunt orationes, quibus si fallunt temporaque reipublicae opportuna perdunt, iam maximo supplicio digni videntur (182—187).

2. Dicet Demosthenem rempublicam turbare et Philippum impedire, quominus ea, quibus rempublicam Atheniensium afficere velit bonis, perficiat. Huic praeoccupationi Demosthenes nihil aliud nisi epistolam Philippi obiicit (187).

3. Opprobrio dabit Demostheni, quod contra ius fasque legatus legatum in iudicium vocet. Huic opponit Demosthenes, societate illa, quae inter legatos sit, neminem impediri, quominus malos et perfidos collegas iudicio persequatur (188—192). Jamque liberiore quodam indignationis flumine orator fertur ad facinus quoddam Aeschinis in Olynthiam feminam captivam perpetratum narrandum, cui opponitur Satyri comici genuina liberalitas, qua filium amici cuiusdam ex captivitate liberavit (192—201).

4. Aeschines Demosthenem incusabit, ipsum secum ab iisdem partibus stetisse; mox vero immutatum, se accusare. Haec ita confutantur:

a. Hanc non iustam esse defendendi rationem, nam etiamsi Demosthenes particeps fuisset consiliorum Aeschinis, hac de causa non fieri meliora (201—205).

